



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Explicatur parabola ex propria sententia, & satisfit argumento louiniani. c.
4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

scilicet erunt æquales, minime quadrat rationi, quam subinde Dominus adiunxit his verbis, *Multi enim sunt vocati pauci vero electi.*

Ad hæc quod Chrylasterit, hanc sententiam non esse conclusionem parabola, eo quod sub causali particula post parabolam ponatur, non obstat: particula enim *Sic*, quæ in fine parabola ponitur, conclusionem & applicationem illius denotat, deinde causalis additur ad maiorem explicationem ipsius, quasi dicat nouissimi erunt primi, & primi nouissimi, cum reuera ita sit, quod multi sint à Deo vocati, pauci vero electi.

Anselm. Denum Ansel. solum ait, denatio diuino æternam Beatitudinem significari, eamque futuram diuersam, difficultatem vero parabola non examinat. Aug. vero hoc modo interpretatur: erimus in illa mercede omnes æquales, tanquam nouissimi primi, & primi nouissimi: quia denarius ille vita æterna est: quantus enim meritorum diuersitate fulgebit alius magis alius minus; tamen quod ad æternitatem pertinet æqualis erit omnibus: ubi docet æqualitatem futuram in duratione, eamque denario diuino comparari. Sed quoad gradus ipsius visionis attinet, nec asserit æqualem futuram, neque negat, solum inquit Beatos diuersitate meritorum distinguendos. Eam vero distinctionem in præmio quoque explicans, subiungit. *Sed alio modo erit ibi castitas coniugalit, alio modo ibi erit integritas virginialis, alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis:* quibus verbis in præmio accidentario diuersitatem assignare videtur: nam eo quod sit meritum castitatis coniugalit, vel virginitalitatis, non sequitur diuersum esse, quod ad primum essentiale pertinet. Verum præterquam quod non satis est, assignare diuersitatem præmij accidentarij, cum plane in Conc. Florent. sess. ult. in literis vnionis, in ipsam visionem Dei constituatur, quæ tanquam præmium per se meritis responderet, difficultas parabola, quam contra alios proposuimus, semper manet: quomodo scilicet nouissimi sint primi, & primi nouissimi: siue enim de præmio essentiali, siue de accidentario loquamur, cum iuxta cuiusque laborem, & meritum præmium tribuatur; non apparet, quomodo nouissimi sint primi, & primi nouissimi: quod si dicamus pares futuros omnes beatos in visione, in sententiam Iouiniani incidere necesse est. Atque eodem recidit, quod idem August. li. de Sancta virgin. c. 26. inquit, vnico denatio diuino hoc solum significari, quod omnes futuri sumus in vita æterna, & regno cælorum, quod omnes resurgemus in incorruptionem: tamen sicut in eodem celo plures sunt stellæ, & hanc sedem communem habent, vna autem alia magis lucet; sic etiam erunt beati. Diuersitatem vero præmiorum, qua variè fulgebunt Sanctorum merita, ipse non explicat: quare eadem semper manet difficultas.

CAPVT IV.

*Explicatur parabola ex propria sententia, & satisfi-
argumento Iouiniani.*

Ian. senius. Multo facilius, & contextui magis consona videtur mihi interpretatio, quam Iansenius adhibet in concord. euang. cap. 101. putat enim ea parabola non significari præmium æternæ vitæ, atque eius pro qualitate meritorum distributionem: quin potius donationem gratiæ, cuiusque, prout

Deo placeat, diuisionem, qua nouissimi sunt primi, & seueritatem diuini iudicij, qua primi sunt nouissimi. Ex quo fiet, vt in iudicio, quod erit post hanc vitam, in qua solum licet operari, qui putabantur nouissimi ad regnandum cum Christo, sint electi: qui vero primi habebantur, ejiciantur à regno.

Hanc sententiam mihi ex duplici capite persuadeo. Primum, quod ex contextu, videlicet ex antecedentibus, & sequentibus parabolam, hunc esse finem illius manifeste colligitur. Deinde, quod in eum optime omnia, quæ in parabola narrantur, conuenire, & applicari possint, illud præsertim, in quo tota vis parabola consistere videtur, murmuratio nempe operatorum, quæ secundum aliorum expositionem spiritualiter explicari nequit. Et quantus Iansenius aliqua omittat, nec ea ad spirituales sensum applicet; omnia tamen optime accommodari possunt, vt in decursu patebit. Tria vero nobis explicanda sunt, quib. tota parabola, eiusque significatio perspicua fiet. Primum est finis illius: secundum murmuratio operatorum: tertium responsum patris familias.

Primum ergo huc parabola spectat, vt ostendat Dominus, eos, qui nouissimi, & a Domino reprob

bi videbantur, eligendos esse: contra vero, qui videbantur primi, à regno Dei omnino reijciendos,

neque denarium diurnum vitæ æternæ accepturos: nam postquam c. 19. Matth. ad Apostolos Dominus dixerat: *Sedebitis super sedes duodecim, indicantes duodecim tribus Israel:* proxime subiungit, *multi autem erunt nouissimi primi, & primi nouissimi,* subiade vero

ca. 20. ad idem propositum adduxit Dominus parabolam dictam, ex qua iterum eandem sententiam concludit dicens: *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Reddens autem causam illis verbis, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* plane indicat, illos

paucos electos futuros esse primos; ceteros vero vocatos, & non electos, futuros esse nouissimos: at vocati, & non electi non sunt accepturi denarium beatitudinis, sed à regno Dei ejiciendi: ergo primi, qui reuera futuri sunt nouissimi, non erunt vitæ æternæ participes, dicuntur igitur nouissimi in die iudicij, qui omnino reprobi futuri sunt; Similis sententia habetur Luc. 13. & Marc. 10. Non igitur adduxit Christus parabolam; vt ostenderet, primos, qui laborarunt in vinea Domini, futuros esse minores in remuneratione vitæ æternæ; sed

eos, qui hic videbantur primi, & plus in vinea Dei laborasse, cum reuera non ita esset, ejiciendos omnino esse à regno cælorum. Contra vero qui apparebant nouissimi, futuros esse primos, & eligendos in regnum cælorum, atque hoc modo alijs præferendos, vt plane colligitur ex sententia Christi Luc. 18. c. vbi postquam dixit, *Ibi erit fletus, & stridor dentium:* cum videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras: subiungit: *venient ab Oriente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei, & ecce sunt nouissimi primi, & primi nouissimi,* vbi nouissimos ipsos Phariseos appellat, qui primi videbantur: non quod minus essent accepturi in beatitudine, sed quia omnino excludendi erant: gentiles vero vocat primos, qui nouissimi videbantur: non quod plus præmij essent accepturi, sed quod simpliciter admittendi essent in regnum alijs reiectis. Eodem sensu idem Christus ad Phariseos dixit *Publicani, & meretrices præcedunt vos in regnum Dei:* quid est præcedunt: non quidem

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

quod

*Parabola
finit & scio-
pus.*

Matth. 19.

24

*Qui dicantur
primi, qui nouissi-
mi.*

Luc. 13.

Luc. 18.

23

Matth. 21.

quod

quod ipsi Pharisei minus profecissent in regno Dei, quam publicani: sed quod nullo modo fidem prædicationis admisissent, quam meretrices, & publicani amplexi fuerant. Namque subdit statim: *Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiae, & non credidistis ei; publicani autem, & meretrices crediderunt.* Sic etiam Matthæi 5. dicitur, *minimus in regno celorum, qui soluerit vnum de mandatis, non quia paruum præmium sit accepturus, sed quia omnino expers illius erit, ut cap. 2. notauimus.*

Obiectioni occurratur.

24

Nec obstat quod in parabola adducuntur primi, & nouissimi, qui reuera in vinea laborarunt, & præmium laboris promeriti sunt, & receperunt: ut inde inferamus, primos, qui futuri sunt nouissimi in regno celorum, & ea parabola significantur, recepturos quoque præmium beatitudinis: hoc enim manifeste pugnat cum conclusione parabola, ut satis monstratum est: sed ad hoc solum parabola affertur, ut sicut ex operarijs, qui laborarunt in vinea, primi reuera plus laborarunt, quam nouissimi, quia pondus diei, & æstus sustinuerunt: præter spem tamen omnium facti sunt in solutione nouissimi, & nouissimi facti sunt primi, quia & primo loco, & pro paruo labore, æqualem cum alijs mercedem acceperunt, & hoc absque vlla iniustitia, ex sola liberalitate soluentis, sic etiam in regno Dei præter spem eueniet, ut qui putabantur primi, & plus in vinea Domini laborasse, quales erant Scribæ & Pharisei, in die iudicij omnino à regno excludantur: quod iusto Dei iudicio permisi fuerint labi, & vere non laborauerint: atque hoc modo erunt nouissimi, qui reuera primi non erant, sed videbantur: contra vero qui hic iudicabantur nouissimi, & abiecti, erunt primi, & electi ad regnandum cum Christo, id quod in gratiam & liberalitatem soluentis erit tandem referendum. Quamuis enim remuneret digne operum merita, quia tamen dedit gratiam, qua mererentur: totum gratiæ ipsius ad scribendum est. Sic Apostoli, quorum occasione inducta fuit parabola, præter opinionem apparebunt sedentes in sedibus duodecim, ut iudicent tribus Israel.

Murmuratio operariorum, quia spiritus equaliter indiget.

25

Secundo loco explicanda est murmuratio operariorum, ea vero spiritualiter accommodari debet, non ad eos, qui reuera præmium vite æternæ cum alijs erunt accepturi, cum enim in ea distributione æqualitas seruanda sit, nulla erit causa murmurationis nec admirationis: debet itaque ad eos murmuratio applicari, qui in hac vita primi esse videbantur, sed reuera non erant, postea vero in regno celorum nouissimi apparuerunt, quales erant Scribæ, & Pharisei: hi ergo contra Dominum obloquuntur, quod ipsis reprobatos, publicanos, & peccatores, quos & ipsi despectui habebant, & in nouissimo loco collocabant, gratia sua Deus elegerit, & prætulerit, non quod æquale cum ipsis ob minorem laborem præmium receperint. Sicut enim principio nascentis Ecclesiæ Indæi gentilibus inuidebant, quod gratia Euangelij ipsis etiam prodesset; sic in nouissimo die iudicij Scribæ, & Pharisei inuidebunt publicanis, & conquerentur de Deo, quod eos gratia sua eo modo elegerit.

Obiectio.

26

At obieciat aliquis, hanc applicationem cum ipsa parabola historia non constare. Nam operarij non eo murmurabant, quod paterfamilias nouissimos in labore ipsis prætulisset, sed quia pares fecisset in solutione: ergo spiritualis murmuratio ob æqualitatem quoque solutionis, &

mercedis & c. debet intelligi.

Respondet, tamen in ipsa parabola narratio. *Solutio.* ne primi operarij videantur queri de patre familias, quod æquales fecerit sibi nouissimos in solutione, & hoc ita litera sonet: tamen re ipsa, querebantur, quod ipsis nouissimos prætulisset. Namque eos fecisse æquales in distributione mercedis, perinde fuit ac re ipsa prætulisse: æqualis enim merces pro minori labore data fuit, quæ proportionem multo maior erat, præterea quia nouissimi primo loco laboris præmium acceperunt: fuit igitur murmuratio causa, quod nouissimi reuera prælati fuissent primis, quod tota parabola spectare videtur, ut prædictum est: ergo eodem modo in die iudicij Scribæ, & Pharisei cum eiciantur è regno celorum, nec sinantur in sinu Abraham patris sui recumbere; contra vero gentiles ab Oriente, & Occidente venientes, admittantur, contra Dominum murmurabunt, quod eos sibi anteposuerit in regno celorum.

Tertio ex dictis facile explicari, & accommodari potest responsum patrisfamilias, *Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade.* hoc enim iuxta interpretationem prædictam non est ita intelligendum, ut Pharisei, qui putabantur primi operarij, & facti sunt nouissimi, aliquid præmij beatitudinis antea promissum, solum fuerit: ac proinde eis dictum fuerit, *Tolle quod tuum est, & vade.* Constat enim ex præcedentibus, eos omnino à regno celorum electos: sed sicut paterfamilias defendens, quod fecerat tribuens nouissimis ex liberalitate, quod ipsis non debeatur, respondit vni ex primis operarijs, *Amice non facio tibi iniuriam, quod tibi præferam in solutione nouissimum: siquidem tu ex denario conuenisti mecum; atque adeo tuum nihil aliud est: tolle igitur, quod tuum est, & vade, volo autem & huic nouissimo hanc gratiam præferre, ut pro minimo labore æqualem tecum habeat mercedem: quod sane ex mea substantia licet mihi facere, ita etiam Dominus in die iudicij Phariseis querentibus, quod ei & sint à regno, Gentiles vero admissi, respondebit Dominus, *Tolle quod tuum est, & vade,* scilicet peccatum: an non licet mihi, hos Gentiles, qui nouissimi putabantur, eligere, non eorum meritis, sed gratia mea, quam tibi iuste negavi: ergo, *Tolle quod tuum est, & vade.* Illud autem *Nonne ex denario conuenisti mecum?* ad hoc solum adducitur, ut ostendat Dominus, eicdis Phariseis nullam fuisse factam iniuriam, quia de suo nihil ablatum fuit.*

28

Denique quod ultimo additur, *Volo autem, & huic nouissimo dare, sicut & tibi,* intelligendum est, sicut proxime dicebamus: non quod nouissimi solum facti sint æquales primis, sic enim eadem esset omnium fors, sed quod prælati fuerint. Illud igitur, *Dare huic sicut & tibi,* per inde est, atque hunc nouissimum tibi anteposere, solutio enim illa, quæ omnibus videbatur æqualis, nouissimis operarijs locupletior fuit, eodem modo Dominus Phariseo dicit, *Tolle quod tuum est vade:* volo autem, gratia mea, & hunc nouissimum Gentilem tibi præferre in regno meo: hoc enim spiritualiter significat illud, *Dare sicut & tibi.* Ex quibus omnibus liquet, quam inane sit argumentum Iouiniaci, tenentis, quod ex hac parabola contra veritatem Catholicam de diuersitate præmij, & visionis desumptum.

CAPVT